

1980-07-30 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Magnus Quippe’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

MAGNUS QUIPPE

**BEATA MARIA VIRGO PROPRIO SUB TITULO «CHIQUINQUIRÁ» MILITUM
VENETIOLANORUM «FUERZAS ARMADAS DE COOPERACIÓN O GUARDIA
NACIONAL» NUNCUPATORUM CAELESTIS PATRONA CONFIRMATUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Magnus quippe atque revera laudabilis est cultu quo clerus et populus Venetiolanae Civitatis gloriosam Virginem Mariam peculiari sub titulo «Chiquinquirá» ab antiquis temporibus prosequuntur. Cum igitur Venerabilis Frater Martialis Ramírez Ponce, Episcopus titulo Carianensis atque Auxiliaris Caracensis seu S. Iacobi in Venezuela, communia vota excipiens, Beatae Mariae Virginis sub titulo «Chiquinquirá» electionem ut Patronae illorum militum Venetiolanorum qui vernacula lingua «Fuerzas Armadas de Cooperación o Guardia Nacional» appellatur probavisset cumque insuper litteris die VIII huius mensis Iulii hoc anno datis ab hac Apostolica Sede petivisset ut eadem electio et approbatio, ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, confirmarentur, Nos, cum omnia secundum ius peracta esse constet, admotam postulationem propenso suscipere animo voluimus. Cuncta ergo rata habentes quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, factis olim a Nobis facultatibus, hac de re statuit, certa scientia ac matura deliberatione deque plenitudine Apostolicae potestatis, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem proprio sub titulo «Chiquinquirá» militum Venetiolanorum «Fuerzas Armadas de Cooperación o Guardia Nacional» dictorum apud Deum Patronam confirmamus, omnibus cum iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Denique mandamus ut hae Litterae Nostrae efficaces sint suosque effectus sive nunc sive in posterum habeant. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXX mensis Iulii, anno MCMLXXX, Pontificatus Nostrī secundo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*